

est delectabit errare atque perire : Cupio lucra exteriora, sed timeo plus damna interiora. Si indifferentem habuero errorem tuum : attendit qui fortis est, quod putat nihil esse ire in haerem, quando aliquod commodum de saculo relexerit unde inveterat. Statim mihi dicit fortis ille periturus, cum te perditum non requiro : Et hæc & hæc Deus est. Quid interest : homines inter se litigantes hoc fecerunt, ubicumque colendus est Deus. Si forte illi dixerit aliquis Donatista : Non tibi do filiam meam, nisi fueris de parte mea : Illi opus est, ut attendat & dicat : Si nihil mali esset esse de parte eorum, non contra illos dicerent tanta pastores nostri : non pro illorum errore fatagerent.

Si ergo celsus & taceamus contraria locuturus est : utique si malum esset esse in parte Donati, loquerentur contra, redarguerent eos, fatagerent lucrari illos : si errant, revocarent illos : si pereunt, quærent illos. Non frustra ergo cum jam dixisset superius : Quod crasium est, interfecistis : hic iterum in novissimo posuit, & quod forte fuit confregit. Ipsa est enim repetita sententia, nisi quia ex his quæ supra dixit nata esset. Quod errabat, non revocastis : & quod perit, non requisistis : & hoc faciendo quod forte est, interfecistis.

Proinde audi quid sequitur de ista negligentia malorum, imo falorum pastorum. Et dispersæ sunt oves meæ, eo quod non sit pastor, & factæ sunt in comesturam omnibus bestiis agri. Furantur lupi insidiantes, rapiunt leones frementes, cum oves non herent pastori. Nam præfens est pastor, sed male agentibus non est pastor. Et inhaerent pastoribus, se ipsos non oves pascentibus : & lætalis error consequitur. Eunt in bestias deprædantes se, & de illarum morte se latari cupientes. Tales enim sunt omnes qui gaudent de erroribus alienis : bestia sunt pastæ mortibus dispersarum. Et dispersæ sunt : & erraverunt oves meæ in omnem montem, & in omnem collem altum. Viam montibus & collibus : tumor terrenus, & superbia sæculi exulit.

Superbia Donati fecit sibi partem subsequentem, cum Parmenianus illius confirmavit errorem. Ille mons est : ille collis est. Sic omnis cujuslibet auctor erroris terrena elatione intumescens, promittit ovibus requiem, bona pascua : & aliquando inveniunt ibi oves pascua de pluvia diei, non de duritia montis. Habent enim & ipsi scripturas : habent sacramenta : Non sunt ista montium, sed cum inveniuntur in montibus, male remanent in montibus. Errando enim in montibus, & in collibus deserendo gregem, deserunt unitatem : deserit unitas cohortes adversus leones & lupos. Inde ergo revocet Deus ipse : Revocat, modo audiat ipsum revocantem. Erraverunt, inquit, oves meæ in omnem montem, & in omnem collem altum : hoc est in omnem tumorem terrenæ superbiæ. Sunt enim & montes boni : Levavi oculos meos in montes, unde venit auxilium mihi. Et vide quia non tibi in montibus spes est : Auxilium, inquit, meum à Domino, qui fecit cælum & terram.

Noli putare injuriam facere te montibus sanctis, quando dixeris : Auxilium meum non à montibus, sed à Domino qui fecit cælum & terram. Ipsi montes hoc tibi clamant. Mons erat qui clamabat : Audio in vobis schismata fieri, ut unusquisque vestrum dicat : Ego sum Pauli : ego Apollo : ego Cepha : ego autem Christi. Leva oculos in istum montem : audi quid dicat : & ne in ipso remaneas. Audi etiam quid sequatur : Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis ? Ergo postquam levaveris oculos tuos in montes, unde venit auxilium tibi, id est, in auctores scripturarum divinarum, attende omnibus medullis tuis, omnibus ossibus clamantem : Domine, quis similis tibi ? ut securus sine ulla injuria montium dicas : Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Non solum tunc tibi non succumbunt montes, sed tunc amabunt, tunc magis favebunt. Si in ipsis spem tuam posueris, contristabuntur. Angelus multa divina & mira ostendens homini, ab homine adorabatur, tanquam levante oculos in montem : ait ille sed revocans ad Dominum : Noli, inquit, facere : illum adora. Nam ego confervus tuus sum, & fratrum tuorum.

In omnem montem, & in omnem collem, & in omnem faciem terræ dispersæ sunt : & in omnem faciem terræ lucent. Quid est in omnem faciem terræ dispersæ sunt ? Omnia terrena sectantes, ea quæ in faciem terræ lucent, ipsa amant, ipsa diligunt. Nolunt mori, ut abscondatur vita

iporum in Christo, super omnem faciem terræ & dilectionem terrenorum. Et quia errantes oves sunt super omnem faciem terræ, non omnes hæretici per totam faciem terræ, sed tamen hæretici per totam faciem terræ : alii hic, alii ibi : nusquam tamen defunt : ipsi se non noverunt. Alia facta in Africa : alia hæresis in Oriente : alia in Aegypto : alia in Mesopotamia. Verbi gratia : Diversis locis sunt diversa : sed una mater superbia omnes genuit : sicut una mater nostra catholica, omnes Christianos fideles toto orbe diffusos.

Non ergo mirum si superbia parit dissentionem, charitas unionem. Tamen ipsa catholica mater, & ipse pastor in ea ubique quærit errantes : confortat infirmos, curat languidos, alligat contractos, alios ab istis, alios ab illis non invicem scientibus : sed tamen illas omnes novit : quia cum omnibus fusa est. Verbi gratia : Est in Africa pars Donati : Eunomiani non sunt in Africa, sed cum parte Donati est hic catholica. Sunt in Oriente Eunomiani : ibi autem non est pars Donati : sed cum Eunomianis ibi est catholica. Illa sic est tanquam vitis crescendo ubique diffusa : illi sunt tanquam fœmina inutilia, agricolæ falce præcisæ merito sterilitatis suæ : ut vitis putaretur, non ut amputaretur. Sarmata ergo illa ubi præcisæ sunt, ibi remanserunt : Vitis autem crescens per omnia, & fœmina sua novit, quæ in illa manserunt : & juxta se, quæ de illa præcisæ sunt. Inde tamen revocat errantes : quia & de ramis fractis dicit Apostolus : Potens est enim Deus iterum inferere illos : five dicas oves errantes à grege : five dicas ligna præcisæ de vite. Nec ad revocandas oves, nec rursus ad inferenda ligna, minus idoneus est Deus : quia ille summus pastor, ille verus agricola. Et in omnem faciem terræ dispersæ sunt : & non fuit qui revocaret, sed in malis illis pastoribus non fuit homo qui requireret.

Propterea pastores audite verbum Domini : Vivo ego dicit Dominus Deus. Videte unde cæpit. Tanquam juratio est Dei testificatio vitæ : Vivo ego dicit Dominus, mortui sunt pastores, sed secuta sunt oves : Vivit Dominus. Vivo ego dicit Dominus Deus. Qui autem pastores mortui ? Sua querentes, non quæ Jesu Christi. Erunt ergo & inveniuntur pastores : non quæ sua sunt querentes, sed quæ Jesu Christi ? Erunt plane, & inveniuntur plane : nec defunt, nec deerunt. Videamus ergo quid dicat Dominus, qui se dicit vivere : utrum dicat ablatum se oves à pastoribus malis, pascentibus se ipsos, non oves : & daturum se eas pastoribus bonis, pascentibus oves, non se. Vivo ego dicit Dominus Deus : quia pro eo quod factæ sunt oves meæ in comesturam omnibus bestiis campi : eo quod non esset pastor. Rursus pastorem dicit : & paulo ante : & nunc non ait, ex eo quod non sint pastores. Ovibus enim talibus male errantibus, male pereuntibus non est pastor : & si præfens est pastor : quia & cum præfens est lux, non est cæcis lux. Et non quaesierunt pastores oves meas : & paverunt pastores se ipsos : oves autem meas non paverunt. Propter istud pastores, audite verbum Domini.

Sed quid pastores audite ? Dicit Dominus Deus : Ecce ego super pastores : & requiram oves meas de manibus eorum. Audite & discite oves Dei : A malis pastoribus inquit Deus oves suas : & de manibus eorum inquit mortem eorum. Dicit enim alio in loco per eundem Prophetam : Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel : & audies ex ore meo sermones : & præmonstrabis eis ex me. In eo cum dixerit peccatori : Morte morieris, & non fuerit locutus, ut impius caveat à via sua : ille facinorosus in suo facinore morietur : sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Tu autem si prænuclaveris facinoroso viam ejus, ut avertatur ab ea : & non fuerit avertus à via sua, ille in facinore suo morietur : & tu animam tuam liberabis.

Quid est fratres ? Videris quam fit tacere periculosum : Moritur ille, & recte moritur : in impietate sua, & peccato suo moritur : Negligentia enim ejus occidit eum. Nam pastorem inveniet viventem, qui ait : Vivo ego dicit Dominus Deus : sed cum fuerit negligens non admonente illo qui ad hoc est præpositus & speculator ut admoneat : & ille justè morietur : & ille justè damnabitur. Si autem dixeris, inquit, impio : Morte morieris : cui ego fuero gladium comminatus, & ille neglexerit vitare imminente gladium, & venerit gladius & interfecerit eum, ille in peccato suo morietur : tu autem animam tuam liberaisti. Propter hoc ad nos quidem pertinet non tacere : Ad vos autem & si taceamus,

mus, de scripturis sanctis verba pastoris audire.

Videamus ergo, quia sic proposueram : utrum auferat oves à pastoribus malis, & det eas pastoribus bonis. Video cum auferentem oves à pastoribus malis. Hoc enim dicit Dominus : Ecce ego ipse super pastores : & inquiram oves meas de manibus eorum : & avertam ab eis ut non pascant oves meas : nec pascant amplius pastores semetipsos. Cum enim dico, pascant oves meas, illi se pascent, non pascent oves meas. Avertam ut non pascant oves meas. Quomodo avertit ut non pascant oves ipsius ? Quæ dicunt, facite : quæ autem faciunt, facere nolite : tanquam diceret, mea dicunt, sua faciunt. Si diceret : Facite securi quod faciunt : ipsos damnabo malè viventes, vobis autem parcam, qui secuti estis præpositos vestros. Si hoc diceret, dederat malis pastoribus pascentas oves : pascentibus non oves, sed se. Sed quoniam terret non solum cæcum ducentem, sed & cæcum sequentem : Neque enim ait, cadit in foveam ducens, & non cadit sequens : sed, cæcus cæcum ducens, ambo in foveam cadunt. Admonuit oves, & ait : Quæ dicunt, facite : quæ autem faciunt, facere nolite. Cum enim non facitis quæ faciunt mali pastores, non vos ipsi pascent : cum facitis autem quæ dicunt, ego vos pasco : Mea enim dicunt, & non faciunt.

Securi, inquit, sequimur Episcopos nostros. Dicit hoc sæpe hæretici quando veritate manifestissima convincuntur : Nonne oves sumus ? Illi de nobis reddent rationem. Reddet planè malam de morte vestra. De morte ovis malignæ reddet malus pastor malam rationem. Nunquid ideo vivit ovis, quia designatur pellis ipsius ? Increpatur pastor, quia neglexit ovem errantem : & propterea in fauces lupi irruit ut devoraretur. Quid illi prodest, quia offert pellem signatam ? Paterfamilias vitam ovis inquit. Sed ecce malus pastor attulit pellem : reddat de pelle rationem. Forte mentitur est. Videat desuper qui postea judicat : Cui verba ille ficta numerat, cogitationes inspicit. Reddat pastor malus rationem de pelle ovis mortuæ. Clamavi ei verba tua, & sequi noluit : dedi operam ut à grege non aberraret, & non obtinuerat. Planè si hoc dicat, & verum dicit : novit autem ille utrum verum dicat, reddit bonam rationem de ove mala. Si autem inspicit Deus quia neglexit errantem, quia non quaesivit pereuntem, quid prodest quod invenit pellem quam referret ? Ipsam revocaret, ne pellem mortuæ demonstraret.

Si ergo non bonam rationem reddit, qui non quaesivit errantem, qualem reddet qui fecit errantem ? Hoc est quod dico : Si in catholica constitutus Episcopus non bonam rationem reddit de ove, si non quaesierit errantem de grege Dei, qualem rationem reddidit est hæreticus : qui non solum non revocavit ab errore, sed etiam impulit in errorem ? Sed videamus ut dixi, quomodo revocet Deus oves à pastoribus malis : Jam commemoravi. Quæ dicunt, facite : quæ autem faciunt, facere nolite. Et non vos ipsi pascent, sed Deus : quia velint nolite pastores ut perveniant ad lac & lanam, verba Dei dicturi sunt. Qui prædicat non furandum, furaris : dicit Apostolus ad eos qui bona dicunt, & mala faciunt. Tu audi prædicantem, Ne fureris : noli imitari furantem. Si furantem imitari volueris, ipse te pascat factio suo : tibi venenum subministrat, non cibum.

Si verò hoc ab illo audis quod non dicit de suo, sed de Deo : non potest quidem uva de spinis colligi. Nam & ipse Dominus sententia est. Nemo colligit de spinis uvam, & de tribulis ficus. Nec ideo tamen quali calumnieris Domino tuo, & dicas : Domine noluit me, quia fieri non potest, de spinis legere uvam. Et rursus dixisti mihi de quibusdam : Quæ dicunt, facite : quæ autem faciunt, facere nolite. Nempe mala facientes, utique spinæ sunt. Quomodo vis me de spinis colligere uvam verbi ? Respondebit : Non est illa uva spinarum, sed aliquando increfens sarmentum implicat se in sepe, & pendet uva inter densa spinarum, sed non surgit de radice spinarum. Tu si esurieris, & aliud non habes unde sumas, cautè manum mitte : ne laceraris à spinis : id est ne facta imiteris malorum, & lege uvam inter spinas pendentem, sed de vite nascentem. Ad te perveniet botri alimentum, spinis servatur ignis tormentum. Extraham, inquit, oves meas de ore eorum & de manibus eorum : & non erunt eis adhuc in cibum. Hoc & in Psalmo dicitur : Nonne cognoscunt omnes qui operantur iniquitatem : qui devorant populum meum ut cibum panis ?

Et non erunt eis adhuc in cibum : Quoniam hæc dicit Do-

minus Deus : Ecce ego ipse abstuli à malis pastoribus oves : monendo ut dixi : ne quod faciunt, faciant : id est, ne quod faciunt mali pastores, faciant incautè negligentes oves. Et quid ait : Cui dat quod illis abstulit ? Fortè bonis pastoribus ? Non hoc sequitur. Et quid dicemus fratres : nonne sunt pastores boni ? Nonne alio loco scripturarum dicitur : Et constitutam eis pastores secundum cor meum : & pascent eas scientia & disciplina ? Quomodo ergo oves quas malis pastoribus tollit, non dat bonis : sed tanquam omnino nusquam remanserint boni dicit : Ego pascam ? Petro dixerat : Pasce oves meas. Quid ergo faciemus ? Cum Petro commendantur oves : non ibi dixit Dominus, Ego pascam oves meas, non tu : sed Petre, amas me : pasce oves meas. An fortè quia modo non invenitur Petrus ? Jam enim assumptus est in requiem Apostolorum & martyrum : Non est cui dicat securus Dominus ovium Pasce oves meas : & quodammodo quasi necessitate descendit ad officium pascenti oves suas : non habens quibus commendet, nec tamen deserens.

Hoc enim videtur sequi. Hæc dicit Dominus Deus : Ecce ego ipse, Videamus : Qui pascis Israel intende : qui deducis tanquam oves Joseph populum in Aegypto constitutum. Jam diffusus in gentibus Israel, ipse est Joseph. Nostis enim quia migravit Joseph in Aegyptum : vendentibus fratribus, factum est. Vendiderunt Christum Judæi sine causa : & inter Apostolos ipse Judas venditor fuit. Cæpit esse Christus in gentibus, ibi honoratus est : ibi crevit populus ejus : non eum deseruit pastor ejus. Excita, inquit, potentiam tuam & veni : ut salvos facias nos. Planè facit & faciet. Ait enim : Ecce ego ipse, & inquiram oves meas : & visitabo eas sicut visitat pastor gregem suum. Non curaverunt mali pastores : Non enim suo sanguine redemerunt.

Sicut visitat, inquit, pastor gregem suum in die. In qua enim die ? Cum fuerit nimbus & nubes, id est, in pluvia & nebula. Pluvia & nebula error sæculi hujus, caligo magna surgens de cupiditatibus hominum : & nebula valida contegens terram. Et difficile est, ut non errent oves in ista nebula : sed pastor non deserit eas, inquit, eas : penetrat nebulam oculis acutissimis, non impeditur caligine nubium, videt undique : errantem revocat, tantum ut fiat quod dicit in Evangelio : Quæ sunt oves meæ, audiunt vocem meam, & sequuntur me. In medio ovium dispersarum, sic inquiram oves meas : & educam eas ab omni loco, quo dispersæ sunt. Illic in die nubis & nimbi, quando difficile est eas inveniri, tunc ego inveniam, Crassa nebula est : pinguis nimbus est : oculus enim ejus nihil latet. Et educam eas de gentibus : & colligam eas de regionibus, & inducam eas in terram earum : & pascam eas super montes Israel. Constituit montes Israel, auctores scripturarum divinarum : Ibi pascite, ut securè pascatis : quicquid inde audieritis, hoc vobis bene sapiat : quicquid extrà est, respuite, ne erretis in nebula.

Audite vocem pastoris. Colligite vos ad montes scripturæ sanctæ. Ibi sunt deliciae cordis vestri : ibi nihil venenosum, nihil alienum : uberrima pascua sunt : vos tantum sanæ venite : sanæ pasceimini. In montibus Israel & in rivis, & in omni habitatione terræ. A montibus enim quos ostendimus, manaverunt rivi prædicationis Evangelicæ : cum in omnem terram exivit sonus eorum. Et facta est omnis habitatio terræ ad pascentas oves læta atque fecunda. In pasceis bonis pascam eas, & in montibus altis Israel.

Et erunt stabula earum illic : hoc est ubi requiescant : ubi dicant : Bene est, verum est, manifestum est : non fallimur. In gloria Dei requiescant tanquam in stabulis illis & dormiant, hoc est, requiescant in deliciis bonis : & in pasceis pinguis pascentur super montes Israel. Jam dixi montes Israel, montes bonos, quò levamus oculos : ut inde nobis veniat auxilium nostrum à Domino, qui fecit cælum & terram : Ideo ne vel in montibus bonis esset spes nostra, cum dixisset : Pascam oves meas super montes Israel : Rursus ne tu spem poneres in montibus, subjicit statim : Ego pascam oves meas. Leva tu oculos tuos in montes, unde venit auxilium tibi. Sed attende dicentem : Ego pascam. Auxilium enim tuum à Domino, qui fecit cælum & terram. Et ego requiescere faciam eas, dicit Dominus Deus. Sed ut requiescere faciat, quid primò curavit ? Quod enim primò curavit, posterius dicit : Hæc dicit Dominus Deus : Quod perit, requiram : & quod erravit, revocabo : & quod comminutum est, colligabo : & quod exanime est, confortabo : & quod pingue



est & forte, custodiam, Quod non faciebant mali pastores, se ipsos pascentes, non oves.

Non ait Dominus: Constituum alios bonos pastores qui faciant hæc: sed ego, inquit, pascam oves meas: nulli committam. Securi vos fratres: securæ vos oves: nobis videtur timendum, quasi desit pastor bonus. Et addit sic: Et pascam eas cum iudicio. Vide, quia sic solus pascat cum iudicio pascentis. Quis enim homo iudicat de homine? Temerariis iudiciis plena sunt omnia. De quo desperavimus, subito convertitur, & fit optimus. De quo multum præsumpsimus, subito deficit & fit pessimus. Nec timor noster certus est: nec amor noster certus est. Quid sit hodie quisque homo, vix novit ipse homo: tamen utcumque ipse quid hodie: quid autem cras, nec aut ipse.

Pascit ergo ille cum iudicio dispersiens propria propriis: hæc istis, illa illis: debita eis quibus debetur, hoc aut illud: Novit enim quid agat: cum iudicio pascat, quos iudicatus redemit. Pascit ergo ipse cum iudicio. In propheta enim Jeremia clamavit quidam: Perdix congregavit quæ non peperit: faciens divitias suas non cum iudicio. Contra istam perdicem facientem divitias suas non cum iudicio, pascat iste pastor cum iudicio. Quare ille sine iudicio? Quia congregavit quæ non peperit. Quare iste cum iudicio? Quia fovet quod peperit. De pastore tamen bono loquitur. Pastores boni aut non sunt, aut latent. Si non sunt, quid agimus? Si latent, quare de eis tacetur? Perdix quidem illa à quibusdam majoribus, & ante nos scripturas tractantibus, diabolus intellectus est, congregans quæ non peperit. Non enim ille creator, sed deceptor est: faciens divitias suas, non cum iudicio. Non enim ad eum pertinet, quis isto aut illo modo erret: omnes errantes vult quibuslibet erroribus.

Quam diversa sunt hæreses: quam diversi errores! Ille in omnibus vult errare homines. Non dicit diabolus: Donatistæ sint, & non Ariani: sive illi sint, sive isti: ad eum pertinent congregantem sine iudicio. Idola, inquit, adoret, meus est: In Iudæorum superstitione remaneat, meus est: deserta unitate in illam, vel in illam hæresim pergat, meus est. Congregat ergo sine iudicio faciens divitias suas.

Sed quid sequitur: In dimidio dierum ejus derelinquet eas: & in novissimis suis erit insipiens. Venit ille congregans undique oves suas in dimidio dierum ejus: priusquam sperabat, antequam putabat, derelinquet eas: & erit insipiens in novissimis ejus. Quare in primis suis sapiens erat: ut in novissimis suis sit insipiens. Audite fratres: Dicitur aliquando in scripturis sapientia pro stultitia, abusione verbi, non proprietate. Unde etiam dicitur: Ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquistator hujus sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Et ista perdix, idem draco, idem semper sapiens erat: quando Adam per Evam decepit. Verum dicere putatus est: bonum consilium dare existimatus est: contra Deum creditus est. Quod verò dicitur sapientia abusive verbi, & in malo, consuetudine quidem scripturarum nostrarum: Nam quemadmodum loquantur auctores mundi, quid ad nos? Habes in eodem libro: Erat ibi serpens sapientior omnibus bestiis. Ille sapientior omnibus bestiis, astutus & acutus ad decipiendum agnoscebat: postea non ei creditur. Et dicitur ei: Renunciamus tibi, sufficiat quod incautos primo decepsisti.

Ergo ita erit in novissimis suis insipiens: Aperta erunt fraudes ejus: & ideo jam fraudes non erunt. In novissimis suis erit insipiens, qui congregavit quæ non peperit: & fecit divitias suas non cum iudicio. Pascit contra illum redemptor noster cum iudicio. Existat & aliquis hæreticus: & si non frater diaboli, certe adjutor & filius: & ipsum dixerim perdicem contentiosum animal: Hoc enim animal, ut aucupes norunt, etiam contendendi studio capitur.

Contendunt isti contra veritatem: & contendunt ex quo se diviserunt. Modo dicunt, contendere nolumus: quia jam capti sunt. Non habet quò dicat, Nolo contendere. O capte, aliquando tu eras qui primis temporibus seditionis tuæ traditores arguebas: innocentes damnabas: iudicium imperatoris quærebas: iudicio Episcoporum non consentiebas: victus toties appellabas, apud ipsum imperatorem studiosissime litigabas, congregabas quæ non peperisti. Ubi est nunc cervix tua? ubi lingua tua? ubi sibilus tuus? Certe in novissimis tuis factus es insipiens: pavisti sine iudicio. Non enim verum vis, vel de errore tuo, vel de veritate iudicare: pascat

contra te Christus cum iudicio, discernit oves suas ab ovibus non suis. Quæ sunt oves meæ, inquit, audiunt vocem meam & sequuntur me.

Hic invenio omnes pastores bonos in uno pastore. Non enim verè pastores boni desunt, sed in uno sunt. Multi sunt qui divisi sunt. Hic unus prædicatur: quia unitas commendatur. Neque enim verè modo ideo tacentur pastores, & dicitur pastor: quia non invenit Dominus qui commendat oves suas: tunc autem ideo commendavit, quia Petrum invenit: Imò verò & in ipso Petro unitatem commendavit. Multi erant Apostoli, & uni dicitur: Pisce oves meas. Absit ut desint modo boni pastores: absit à nobis ut desint, absit à misericordia ipsius ut non eos gignat atque constituat. Utique si sunt bona oves, sunt & boni pastores: Nam de bonis ovibus, sunt boni pastores: Sed omnes boni pastores, in uno sunt, unum sunt. Illi pascent, Christus pascat. Non enim vocem suam dicunt amici sponsi, sed gaudio gaudent propter vocem sponsi. Idem ergo ipse pascat cum ipsi pascent. Et dicit: Ego pasco, quia in illis vox ipsius, in illis charitas ipsius. Nam & ipsum Petrum cui commendavit oves suas, quasi alter alteri unum secum facere volebat: ut sic ei oves commendaret, ut esset ille caput, ille figuram corporis portaret, id est Ecclesiæ: & tanquam sponsus & sponsa essent duo in carne una. Proinde ut oves commendaret: quid illi prius dicit: ne illi tanquam alteri commendaret: Et petre amas me? Et respondit: Amo. Et iterum: Amas me? Et respondit: Amo. Et tertio: Amas me? Et respondit: Amo. Confirmat trinitatem, ut consolidet unitatem.

Ipse ergo pascat unus in his, & hi in uno: & tacetur de pastoribus. Sed non tacetur. Gloriantur pastores, sed qui gloriatur in Domino gloriatur. Hoc est Christum pascere: hoc est Christo pascere, in Christo pascere, præter Christum sibi non pascere. Neque enim verè inopia pastorum tanquam ista futura mala tempora propheta prædiceret, dixit: Ego pascam oves meas: non habeo cui commendem. Etiam cum ipse Petrus erat, & cum adhuc ipsi Apostoli erant in hac carne, & in hac vita: tunc ait ille unus, in quo uno omnes unum: Habeo alias oves, quæ non sunt de hoc ovili: oportet me & eas adducere, ut sit unus grex & unus pastor.

Sint ergo omnes in pastore uno: & dicant vocem pastoris unam, quam audiunt oves & sequuntur pastorem suum: & non illum, aut illum, sed unum: Et omnes in illo unam vocem dicant: diversas voces non habeant. Obsecro vos fratres, ut id ipsum dicatis omnes: & non sint in vobis schismata. Hanc vocem eliquatam ab omni schismate, purgatam ab omni hæresi, audiant oves & sequantur pastorem suum dicentem: Quæ sunt oves meæ, vocem meam audiunt & sequuntur me.

Nam vis nosse hæretice quam non habeas vocem pastoris, & periculosè te sequantur oves, tactum indumento ovium, & intus lupum rapacem, audiant vocem tuam. Videamus an Christi sit. Ecclesiam querit infirma ovis à grege aberrans, nesciens ubi sit grex: querit quò se aggreget, quò intret ædem. Vocem audiamus an Christi sit: Audiamus utrum agni sit, an perdicis. Ovis Dei, gregem suum querit. Puta ovem de Oriente venisse in Africam: querit gregem suum: incurrit in te, incurrit in basilicam tuam: intrare vult, commoveris ignota facie, vel tu, vel minister tuus, stans vel sedens ad ostium: interrogat ovem quarentem gregem suum: imò gregem Dei cum grege suo intrare vult, ubi cum esse putat. Queris paganus sit, an Christianus? Respondet: Christianus: Ovis est enim Dei. Queris ne forte catechumenus sit & irruat in sacramentis? Respondet: Fidelis. Queris cuius communionis sit? Respondet: Catholicus: Christianum fidelem Catholicum reprobas: Qui sunt intus quos tenes? Ita verò projice, reproba. A te reprobatus à Christo probatur. Utinam & illi qui sunt apud te cognoscant te, & in dimidio dierum tuorum derelinquant te.

Quidam fratres nostri hesternò die erunt ad basilicam eorum: etiam ad malos fratres, tamen ad fratres. Attendite fratres mei, quid intersit inter fiduciam veritatis & timorem falsitatis. Quando aliquos eorum in hoc populo agnoscebas, quomodo gauderis: quia in vobis ille est qui querit quod perierat? Sugereret aliquando vobis: Audiet & discedet. Et vos: Audiat & discedat. Audiet & irridebit. Audiat & irrideat: Aliquando sapiet, aliquando agnosceat, aliquando relinquitur à populo suo, remanet cum corde suo: Renunciat errori

suo, gratias agit Deo suo. Illi autem quid? Qui estis? Christiani sumus. Non, sed exploratores. Et illi Catholicii sumus. Conati sunt injuriare meliori consilio. Pœnitent eos: atque utinam sic pœniteat, & ibi remanere: quomodo pœnituit eos qui ingressi sunt injuriare. Tamen quos proiecunt Christianos, fideles, Catholicos quos tenuerunt? Nolo dicere, quos proiecunt: video quos tenuerunt, ipsi dicant.

Dicant ergo vocem suam: Videamus an Christi sit vox, an pastoris sit vox, quam sequantur oves: sive per bonum sit vox ista, sive per malum hominem: utrum pastoris sit vox, attendamus. Querit infirmus Ecclesiam, querit errans Ecclesiam: tu quid dicis? Partis Donati est Ecclesia. Ego vocem pastoris inquirō. Lege hoc mihi de propheta, lege mihi de psalmo, recita de lege: recita de Evangelio, recita de Apostolo. Inde ego recito Ecclesiam toto orbe diffusam, & Dominum dicentem: Quæ sunt oves meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur me. Quæ est vox pastoris? Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem. Ecce vox pastoris: agnosce eam, & sequere si ovis es. Sed illi codices tradiderunt, & illi thus idolis posuerunt: Ille & ille. Quid ad me de illo & de illo? Si fecerunt, non sunt pastores.

Tu vocem pastoris edicito: qui nec de illis vocem pastoris annuncias. Tu accusas non Evangelium, tu accusas non Prophetam, non Apostolum de quo mihi vox ista loquitur: de illo credo, aliis non credo. Sed acta proferes. Acta profero. Credamus tuis, crede & tu meis. Non credo tuis: noli credere meis. Auferantur chartæ humane, sonent voces divine: Ede mihi unam scripturam vocem pro parte Donati. Audi innumerabiles pro orbe terrarum. Quis eas numerat? Quis eas terminat? Tamen ut pauca commemoremus, legem attende: primum Dei testamentum: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Et in psalmo: Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terre. Commemorabuntur & convertentur ad Dominum omnes fines terre: Et adorabunt in conspectu ejus universæ patrie: quoniam ipse est regnum, & ipse dominabitur gentium. Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra. Et adorabunt cum omnes reges, omnes gentes servient illi. Quis enumerare sufficiat: Propè omnis pagina nihil aliud sonat quam Christum & Ecclesiam toto orbe diffusam.

Exeat mihi una vox pro parte Donati. Quid magnum est quod quero? Ecclesiam toto orbe diffusam perituram esse dicunt. Peritura prædicta est tor testimonio mansura: Nec una vox ista per legem, per Prophetas, per cantica pastoris est. Neque enim illi verum dicere sine verbo Dei poterunt, quod est Christus. Audi vocem verbi: & ex ore verbi, miratus fidem centurionis: Amen, inquit, dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Propterea dico vobis, quia multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno celorum. Ab Oriente multi & Occidente venient: Ecce Ecclesia Christi, ecce grex Christi: tu vide si ovis es. Non enim te latet grex qui ubique est. Non habebis, quid respondeas judici tuo, quem non vis esse pastorem tuum: Non habebis inquam quod respondeas judici tuo: Nescivi, non vidi, non audivi. Quid est quod non scisti? Nec est qui se abscondat à calore ejus. Quid est quod non vidisti? Viderunt omnes fines terre salutare Dei nostri. Quid est quod non audisti? In omnem terram exivit sonus eorum: & in fines orbis terra verba eorum. Sed rectè à vobis queritur vox Christi, vox pastoris, quam oves audiunt & sequantur. Non invenitis quid dicatis: vocem pastoris non habebis.

Audite & sequimini. Dimittite vocem lupi, sequimini vocem pastoris, aut date vocem pastoris. Damus inquit. Audiamus, Damus & nos vocem pastoris. Audiamus: In canticis, inquit, canticorum loquitur sponsa ad sponsum, Ecclesia ad Christum. Novimus cantica canticorum, sancta cantica, amatorum cantica, sancti amoris, sanctæ charitatis, sanctæ dulcedinis. Planè volo inde audire vocem pastoris, vocem dulcissimi sponsi Ecclesiæ. Quid habes? Audiamus. Sponsa, inquit, dicit ad sponsum: Annuncia mihi quem dilexit anima mea: ubi pascis, ubi cubas. Et ille, inquit, respondet: In meridie. Manifesta tibi testimonia proferebam: non erat quemadmodum aliter interpretareris. Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam,

terminos terra. Commemorabuntur & convertentur ad Dominum universi fines terra. Quid est quod mihi de canticis canticorum profers: quod forte non intelligis? Etenim illa cantica canticorum ænigmata sunt: paucis intelligentibus nota sunt: paucis pulsanibus aperiuntur.

Tene & devotè accipe aperta: ut merito tibi pandantur obscura. Quomodo eris penetrator obscurorum, contemptor manifestorum? Ecce tamen ut possumus fratres hæc verba discutiamus: aderit Dominus ut videatis ibi sanum intellectum. Primò quod ab omnibus & imperitis facillimè iudicatur, verba ipsa male distinguunt, nunc audietis, nunc probabit. Etenim sic se habet textus ipse lectionis. Sponsa loquitur ad sponsum: Annuncia mihi quem dilexit anima mea: ubi pascis, ubi cubas? Quod sponsa sponso dicat, quod Ecclesia Christo dicat, nec nos dubitamus, nec illi. Sed omnia verba sponsæ audi. Quare verbum quod adhuc sponsæ est, vis tribuere jam sponso? Omnia quæ dicit sponsa, dicat: tunc respondebit sponso.

Audi evidentiùs: hæc distinctione quam dicturus sum, non inveniet aliquid plus. Annuncia mihi quem dilexit anima mea: ubi pascis, ubi cubas in meridie? Ipsa adhuc dicit: ubi pascis, ubi cubas in meridie? Et vide quia ipsa adhuc dicit. Sequitur enim: Ne forte siam sicut aperta super greges sodalium tuorum. Puto omnes peritos imperitorum discernere genus masculinum & femininum. Opera quero, cujus generis sit. Ab omni homine quero, masculini est, an feminini? Annuncia, inquit, mihi quem dilexit anima mea: quem, cum dicit masculinum alloquitur, sponsum alloquitur. Quia verò femina virum alloquitur, consequentia verba indicant. Annuncia mihi quem dilexit anima mea: ubi pascis, ubi cubas in meridie: ne forte siam sicut aperta. Audi tu aperta, ut fiant tibi hæc aperta. Annuncia mihi quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie: ne forte siam sicut aperta super greges sodalium tuorum.

Hucusque verba sponsæ. Jam incipiunt verba sponsi de manifesto: Nisi cognoveris temetipsam. Agnosce evidenter feminam. Temetipsam ò pulchra inter mulieres, nisi cognoveris temetipsam. O pulchra inter mulieres, exi tu in vestigijs gregum, & pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum: non in tabernaculo pastoris. Vide quomodo comminetur sponsus: vide quemadmodum in periculo quamvis ille dulcis abstulit de medio blandimenta. Quam blandè illa: Annuncia mihi, quem dilexit anima mea: ubi pascis, ubi cubas in meridie? Veniet enim dies medius, quando ad umbracula concurrant pastores, & forte latebit me, ubi tu pascis, & ubi cubas in meridie: & volo mihi annuncies, ne forte siam sicut aperta, id est sicut occulta & non cognita. Ego enim manifesta sum, sed ne sicut occulta & sicut celata incidam super greges sodalium tuorum. Omnes enim hæretici à Christo exierunt: omnes qui facti sunt pastores mali, habentes greges suos sub nomine Christi: illius sodales fuerunt: illius convivium acceperunt. Sodales enim dicuntur tanquam unius convivii. Latina enim lingua sic dicti sunt sodales, quasi simul edales: eo quod simul edant. Audi illum in psalmo arguentem sodales malos, id est unius convivii: Si inimicus, inquit, meus maledixisset mihi, sustinuissem utique: & si super me magna locutus fuisset, abscondissem me utique ab eo: tu verò unanimis & notus meus, dux meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.

Ergo multi sodales ingrati mensæ dominicæ exierunt foras, mali sodales fecerunt sibi mensas suas: & exerunt sibi altaria contra altare. In eos ista timet errare. Et si putas quia meridies Africa est: quamquam possem obtinere magis mundi meridiem esse partes Ægypti, & illas exultas sole regiones, ubi pluvia non apparet: quia ipsa est meridies, ubi fervet medius dies: ibi autem eremus plena millibus servorum Dei. Unde si ad meridiem locorum velimus advertere: quare non ubi pascat magis ille & ibi requiescat: quando antè prædictum est: Ubera erunt deserta eremi? Sed ecce contentio: Africa sit meridies.

Hic sunt sodales mali. Ecclesia transmarina in aliquo loco navigante, in Africa sollicita ne erret, invocat sponsum suum, & dicit ei: Abundare audio hæreticos in Africa: abundare audio rebaptizatores in Africa: Esse autem ibi tuos non minus audio. Et illud audio, & hoc audio, sed qui sint tui à te volo audire. Annuncia mihi quem dilexit anima mea: ubi pascis, ubi cubas in meridie? Audio duas partes esse. Unam Donati: alteram univervo tuo coherentem. Tu mihi